



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De|| EXTREMA VNCTIO-||NE, ORDINE, ET MATRI-||MONIO.|| SINGVLIS LIBRIS  
EX-||PLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XII. De cæremoniis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54104)

CAPVT XII.

De Cæremoniis.

**D**VÆ sunt cæremoniæ, quas aduersarij reprehendunt, videlicet vñctio, & rasura; vnde per contemptum vocant Catholicos Sacerdotes, vñctos, & rasos. Sed de rasura disseruimus in disputatione Clericis: illa enim etsi est cæremonia Sacerdotum, non tamen fit in ipsa consecratione sacerdotali, de qua modo agimus.

Vñctio autem est cæremonia verè Sacramentalis, quamquam accidentaria: siquidem in ipsa Ordinatione vngitur caput Episcopis, & manus Presbyteris.

De hac cæremonia dicit Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 1171. & sequent. **PRIMO**, Christum, & Apostolos eos non fuisse. **SECUNDO**, in historia Ecclesiastica nullum extare exemplum. **TERTIO**, Ambrosium, & alios Patres eius non meminisse; si excipiamus supposititios lib. Cypriani, & Anacleti. **QUARTO**, in Ecclesia Græca non fuisse receptam istam vñctionem, vsque ad annum M. CC. immò etiam antiquis displicuisse, vt colligitur ex Innocentio III. cap. Cùm venisset, de sacra vñctione. **QUINTO**, ritum esse Iudaicum, proinde non magis vsurpandum, quam sacrificia ouium, & bouum: quod vltimam accepit ex Caluino, lib. 4. Instit. cap. 19. §. 30. & 31.

**RESPONDEO**, ista omnia esse mendacia. Nam quod attinet ad exempla Christi, & Apostolorum, Kemnitius non probat eos non fuisse vsos vñctione; nos autem contrarium probare possumus. Nam Dionysius, capite 4. hierarchiæ Ecclesiast. dicit, Pontificem vti sacro oleo in omni ferè consecratione Pontificali, idque traditum esse ab Apostolis: constat autem vnã, & præcipuam, & frequentissimam ex Pontificalibus consecrationibus, esse Ordinationes Sacerdotum.

**DEINDE**, quod addit de historia Ecclesiastica, est expressum mendacium. Nam libro 10. hist. Eusebij, cap. 4. secundum Græcam fidem, fit aperta mentio vñctionis sacerdotalis.


Item

Item **Simcon Metaphrastes** in vita S. Ioannis Chrysoctomi quæ habetur tomo primo Suriij, scribit eum inunctum fuisse cum Episcopus fieret Constantinopolitanus; & **Petrus Chrysolologus** in serm. de S. Seuero, refert eum inunctum, cum ordinaretur Episcopus Rauennæ.

**TERTIO**, quod scribit Kemnitius de Patribus, est etiam mendacium. Nam **PACIANVS** Ambrosij æqualis, in epist. 3. ad Sympronianum: *Plebi vestræ*, inquit, *unde Spiritum, quam non consignat vnctus Sacerdos?* **ITEM** **Gregorius** lib. 4. in libros Regum, cap. 5. multa dicit de ista vnctione Sacerdotum. Quibus addo, velit nolit Kemnitius, auctorem de operibus Cardinalibus Christi, in sermone de Chrismate: esse enim is auctor non est Cyprianus, est tamen auctor omnium consensu antiquus, & doctus.

**QUARTO**, mendacium est, in Ecclesia Græca non fuisse usum vnctionis, vsque ad annum M. C. C. Contrarium enim docent testimonia allata Dionysij, Eusebij, Metaphrasta. Neque **INNOCENTIUS** iis repugnat, solum enim reprehendit Græcos sui temporis, quod hanc cæremoniam negligenter: neque dicit, antiquis eum ritum displicuisse. Illa enim verba: *Non iudaizat Ecclesia, sicut antiqui mentiuntur, qui neque Scripturas, neque Dei nouere virtutem; sine dubio corrupte leguntur, & pro (antiqui) legendum est (aliqui) nec enim ita absolute reprehenderet antiquos, præsertim cum ipse ex antiquis suam sententiam prober.*

**DEINQUE** quod Calvinus, & Kemnitius dicunt, Iudaismum esse, vti vnctione, sæpè à nobis refutatum est. Non enim est Iudaismus, vti rebus quibus utebantur Iudæi, si id fiat cum alia forma verborum, & alio ritu, atque ad alium finem; alioqui etiam Iudaismus esset, vti aqua in Baptismo, & pane in Eucharistia, cum etiam Iudæi habuerint aquas expiationis, & panes propositionis.



DE MA.